



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 190. Et tollerentur. v. 31.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

§. 189. Rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum cruce. v. 31.

Crura frangi petebant, non Christo, ut pote iam mortuo, sed laetantibus qui adhuc vivebant, vt magnitudine dolorum, qui iam in extremis erant, citius morerentur. Quod si Iudaei idem intenderint fieri in Christo signum est, eos sibi timuisse ob varia hominum iudicia de Christo & miraculis eius, ob quae fortasse timebant ne illuderentur & spe frustrarentur post mortem sui maximi inimici, & vineam illam occisi haeredis non retinerent sibi.

○ Iudaei, quam bene de vobis dixit iste quem occidistis nunc, quod suis sepulchra dealbata foris, intus plena spurcitia! certe id vel nunc probaris esse verum. Sed & non minus verum est, quod de vobis dixit S. Iohannes nempe vos esse genimina viperarum, hoc enim etiam probatis verum fuisse, O caeci odio & inuidia & ambitione, quo vsque peruenistis!

§. 190. Et tollerentur. v. 31.

Cum viueret liber Dominus, non quieuerunt Iudaei, donec eum in cruce viderent, cum in cruce pendeat viuens adhuc eum opprobrijs saturauerunt, super titulo crucis querelas posuerunt inquieti. Mortuus demum est in cruce, nec tamen adhuc quieuerunt sed vt iam tolleretur rogauerunt. Cum hoc etiam impetrassent nondum quieuerunt, sed custodiam sepulchro apposuerunt, sed cum hoc fecissent magis inquieti facti sunt, quia cum militibus annuntiantibus resurrectionem eius pecunia pacisci debuerunt, & post pentecosten adhuc magis inquieti facti sunt per Apostolorum Christi miracula.

○ Miseros, & valde miseros mortales, quando se passionibus suis tradunt vel permittunt, in quandam Iliadem malorum tunc deuoluunt! & quid tandem profecerunt omnibus curis suis Iudaei? nihil nisi quod dolorem & metum assidue merebant, quamdiu in passionibus suis seminare pergebant, ponamus ergo horum fortunam ob oculos vt abstinemus à talibus procedendi modis, & potius sequamur modos à Christo praescriptos, isti afferunt laetitiam & vitam quietam.

§. 191. Venerunt ergo milites & primi quidem frangerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. v. 32.

Impetrata per Iudaeos venia tollendi de crucibus corpora suspensorum,